

Denarius quippe tanquam justitiæ numerus in decem præceptis Legis ostenditur. Porro peccatum est Legis transgressio : et utique transgressio denarii numeri congruenter undenario figuratur : unde et vela cilicina jubentur in tabernaculo undecim fieri ¹ : quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere ? Ac per hoc quia universum tempus septenario dierum numero volvitur, convenienter undenario septies multiplicato ad numerum septuagesimum et septimum cuncta peccata perveniunt. In quo numero etiam fit plena remissio peccatorum, expiante nos carne sacerdotis nostri, a quo nunc iste numerus incipit; et reconciliante nos Deo, ad quem nunc iste numerus pervenit per Spiritum sanctum, qui in columbæ specie in hoc baptismo, ubi numerus iste commemoratur, apparuit ².

~~~~~

CAPUT V.

*Quomodo Matthæi ordini congruat ordo Lucæ in his, quæ de conceptu et de infantia vel pueritia Christi alius prætermittit, alius commemorat.*

XIV. Post enumeratas generationes Matthæus ita sequitur : « Christi autem generatio sic erat, cum esset desponsata mater Jesus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Hoc quemadmodum factum sit, quod hic prætermisit, Lucas exposuit post commemoratum conceptum Joannis, ita narrans : « In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen

<sup>1</sup> Exod. xxvi, 7. — <sup>2</sup> Luc. iii, 22.

» Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. » Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave gratia plena, » Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei : Ne timeas, » Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus » Jesum : hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur : » et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, » et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? Et respondens Angelus, dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque » et quod nasceretur sanctum, vocabitur Filius Dei <sup>1</sup>. » Et cætera, quæ ad id quod nunc agitur non pertinent. Hoc ergo Matthæus commemoravit dicens de Maria : « Inventa est in utero habens de Spiritu sancto <sup>2</sup> : nec contrarium est quia Lucas exposuit id quod Matthæus prætermisit ; cum de Spiritu sancto Mariam concepisse uterque testetur : sicut non est contrarium quia Matthæus deinceps connectit quod Lucas prætermittit. Sequitur enim, et dicit Matthæus : « Joseph autem vir ejus cum » esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte » dimittere eam. Hæc autem, eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens : Joseph fili » David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : » quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse » enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc » autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est

<sup>1</sup> Luc. i, 26-35. — <sup>2</sup> Matth. i, 18.



» a Domino per Prophetam dicentem : Ecce virgo in utero  
 » habebit; et pariet filium, et vocabitur nomen ejus  
 » Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus <sup>1</sup>.  
 » Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit  
 » ei Angelus Domini; et accepit conjugem suam : et  
 » non cognoscebat eam, donec peperit filium suum pri-  
 » mogenitum; et vocavit nomen ejus Jesum <sup>2</sup>. Cum ergo  
 » natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis  
 » regis <sup>3</sup>, » et cætera.

XV. De civitate Bethlehem Matthæus Lucasque consen-  
 tiunt : sed quomodo et qua causa ad eam venerint Joseph  
 et Maria, Lucas exponit, Matthæus prætermittit. Contra  
 de Magis ab Oriente venientibus Lucas tacet, Matthæus  
 dicit ita contextens : « Ecce Magi ab Oriente venerunt  
 » Jerosolyam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Ju-  
 » dæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et ve-  
 » nimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex tur-  
 » batus est : » et cætera, usque ad eum locum, ubi  
 scriptum est de ipsis Magis, quod « Responso accepto in  
 » somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam re-  
 » versi sunt in regionem suam <sup>4</sup>. » Hoc totum Lucas  
 prætermittit, sicut Matthæus non narravit quod Lucas  
 narrat, in præsepi positum Dominum <sup>5</sup>; et quod pastoribus  
 eum natum Angelus nuntiaverit, et quod multitudo mili-  
 tiæ cœlestis facta est cum Angelo laudantium Deum; et  
 quod venerunt pastores, et viderunt verum esse quod eis  
 Angelus nuntiaverat; et quod die circumcisionis suæ no-  
 men acceperit; et quæ post impletos dies purgationis  
 Mariæ idem Lucas narrat, quod attulerint eum ad Jeru-  
 salem, et de Simeone vel Anna, quæ dixerint de illo in

<sup>1</sup> Isai. vii, 14. — <sup>2</sup> Matth. i, 18-25. — <sup>3</sup> Id. ii, 1. — <sup>4</sup> Ibid. 1-3 et 12.  
 — <sup>5</sup> Luc. ii, 7, et seqq.

templo, posteaquam cognoverunt eum impleti Spiritu  
 sancto : omnia hæc tacet Matthæus.

XVI. Unde merito quæritur, quando facta sint, sive  
 quæ Matthæus prætermittit et Lucas dicit, sive quæ Lucas  
 præmittit et Matthæus dicit. Quandoquidem Matthæus,  
 regressis in regionem suam Magis qui venerant ab Oriente,  
 sequitur et narrat <sup>1</sup>, Joseph ab Angelo admonitum ut  
 cum infante in Ægyptum fugeret, ne ab Herode necaretur;  
 deinde Herodem illo non invento, a bimatu et infra  
 pueros occidisse : defuncto autem Herode rediisse ab  
 Ægypto, et audito quod Archelaüs in Judæa regnaret  
 pro Herode patre suo, habitasse cum puero in Galilææ  
 civitate Nazareth : quæ omnia Lucas tacet. Nec ideo con-  
 trarium videri potest, quod vel hic dicit quæ ille præter-  
 mittit, vel ille commemorat quæ iste non dicit. Sed quæ-  
 ritur quando fieri potuerint quæ contexit Matthæus de  
 profectioe in Ægyptum atque inde regressione post He-  
 rodis mortem, ut jam in civitate Nazareth habitarent, quo  
 eos Lucas, posteaquam perfecerunt in templo circa pue-  
 rum omnia secundum legem Domini, reversos esse com-  
 memorat <sup>2</sup>. Hic proinde cognoscendum est quod deinceps  
 ad cætera talia valeat, ne similiter moveant animumque  
 conturbent, sic unumquemque Evangelistam contextere  
 narrationem suam, ut tanquam nihil prætermittentis  
 series digesta videatur : tacitis enim quæ non vult dicere,  
 sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa  
 continuo sequi videantur : sed cum alter ea dicit quæ  
 alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum  
 ubi ea potuerit, a quo prætermittita sunt, transilire, ut ea  
 quæ dicere intenderat, ita superioribus copularet, tan-  
 quam ipsa nullis interpositis sequerentur. Ac per hoc in-  
 telligitur Matthæus, ubi ait somnio admonitos Magos ne

Matth. ii, 12, et seqq. — <sup>2</sup> Luc. ii, 39a



redirent ad Herodem, et per aliam viam regressos in regionem suam<sup>1</sup>; illic prætermisisse quæ Lucas narravit gesta circa Dominum in templo, et dicta a Simeone et Anna: ubi rursus Lucas prætermittens profectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tanquam continuam contexit regressionem ad civitatem Nazareth<sup>2</sup>.

XVII. Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus, quæ de Christi nativitate et infantia vel pueritia in utriusque narratione ab alterutro seu dicuntur seu prætermittuntur, ordinare sic potest: « Christi autem generatio sic erat<sup>3</sup>: Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: et uxor illi de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini: et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi: et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet; et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse præcedet ante illum

<sup>1</sup> Matth. 11, 12. — <sup>2</sup> Luc. 11, 22, etc. — <sup>3</sup> Matth. 1, 18.

» in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in  
 » filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parere  
 » Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum, et missus loqui ad te, et hæc tibi evangelizare: et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam: Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad An-



» gelum : Quomodo fiet istud , quoniam virum non  
 » cognosco? Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus  
 » sanctus superveniet in te , et virtus Altissimi obumbra-  
 » bit tibi : ideoque et quod nascetur sanctum , vocabitur  
 » Filius Dei : et ecce Elisabeth cognata tua , et ipsa con-  
 » cepit filium in senectute sua ; et hic mensis est sex-  
 » tus illi quæ vocatur sterilis : quia non erit impos-  
 » sibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria :  
 » Ecce ancilla Domini , fiat mihi secundum verbum  
 » tuum. Et discessit ab illa Angelus. Exurgens autem  
 » Maria in diebus illis , abiit in montana cum festinatione  
 » in civitatem Juda : et intravit in domum Zachariæ , et  
 » salutavit Elisabeth. Et factum est , ut audivit saluta-  
 » tionem Mariæ Elisabeth , exultavit infans in utero ejus ;  
 » et repleta est Spiritu sancto Elisabeth : et exclama-  
 » vit voce magna , et dixit : Benedicta tu inter mulieres ,  
 » et benedictus fructus ventris tui : et unde hoc mihi , ut  
 » veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est  
 » vox salutationis tuæ in auribus meis , exultavit in gau-  
 » dio infans in utero meo : et beata quæ credidisti , quo-  
 » niam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Et  
 » ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. Et exul-  
 » tavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit  
 » humilitatem ancillæ suæ ; ecce enim ex hoc beatam me  
 » dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui  
 » potens est , et sanctum nomen ejus. Et misericordia  
 » ejus in progenies et progenies timentibus eum. Fecit  
 » potentiam in brachio suo ; dispersit superbos mente  
 » cordis sui. Deposuit potentes de sede , et exaltavit  
 » humiles. Esurientes implevit bonis , et divites dimisit  
 » inanes. Suscepit Israël puerum suum , memorari miseri-  
 » cordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros , Abra-  
 » ham et semini ejus in sæcula. Mansit autem Maria

» cum illa quasi mensibus tribus , et reversa est in do-  
 » mum suam <sup>1</sup> : et inventa est in utero habens de Spiritu  
 » sancto. Joseph autem vir ejus , cum esset justus , et nol-  
 » let eam traducere , voluit occulte dimittere eam. Hæc  
 » autem eo cogitante , ecce Angelus Domini in somnis  
 » apparuit ei dicens : Joseph , fili David , noli timere acci-  
 » pere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum  
 » est , de Spiritu sancto est. Pariet autem filium , et vo-  
 » cabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet po-  
 » pulum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum fac-  
 » tum est , ut adimpleretur quod dictum est a Domino  
 » per Prophetam dicentem : Ecce virgo in utero habebit  
 » et pariet filium , et vocabitur nomen ejus Emmanuel <sup>2</sup> ,  
 » quod est interpretatum , Nobiscum Deus. Exurgens  
 » autem Joseph a somno , fecit sicut præcepit ei Angelus  
 » Domini , et accepit conjugem suam : et non cognoscebat  
 » eam <sup>3</sup>. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi ,  
 » et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus ,  
 » quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum  
 » illa , et congratulabantur ei. Et factum est in die oc-  
 » tavo , venerunt circumcidere puerum , et vocabant eum  
 » nomine patris ejus Zachariam. Et respondens mater  
 » ejus , dixit : Nequaquam , sed vocabitur Joannes. Et  
 » dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua  
 » qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus  
 » quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scrip-  
 » sit , dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt  
 » universi. Apertum est autem illico os ejus et lingua  
 » ejus , et loquebatur benedicens Deum. Et factus est  
 » timor super omnes vicinos eorum ; et super omnia mon-  
 » tana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et po-  
 » suerunt omnes qui audierant in corde suo , dicentes :

<sup>1</sup> Luc. 1, 5-56. — <sup>2</sup> Isai. vii, 14. — <sup>3</sup> Matth. 1, 18-25.



» Quid putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat  
 » cum illo. Et Zacharias pater ejus impletus est Spi-  
 » ritu sancto, et prophetavit dicens: Benedictus Domi-  
 » nus Deus Israël, quia visitavit et fecit redemptionem  
 » plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Da-  
 » vid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a  
 » sæculo sunt, Prophetarum ejus. Salutem ex inimicis  
 » nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. Ad fa-  
 » ciendam misericordiam cum patribus nostris, et memo-  
 » rari testamenti sui sancti. Jusjurandum quod juravit ad  
 » Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sine  
 » timere de manu inimicorum nostrorum liberati ser-  
 » viamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso omnibus  
 » diebus nostris. Et tu, puer, Propheta Altissimi voca-  
 » beris: præbis enim ante faciem Domini parare vias  
 » ejus. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remis-  
 » sionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ  
 » Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illu-  
 » minare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad  
 » dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem  
 » crescebat, et confortabatur spiritu; et erat in desertis  
 » usque in diem ostentionis suæ ad Israël. Factum est  
 » autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto,  
 » ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima  
 » facta est a præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut pro-  
 » fiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et  
 » Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civita-  
 » tem David quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de  
 » domo et familia David, ut profiteretur cum Maria despon-  
 » sata sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent  
 » ibi, impleti sunt dies ut pareret: et peperit filium suum  
 » primogenitum, et pannis eum involvit: et reclinavit  
 » eum in præsepio; quia non erat eis locus in diversorio.

» Et pastores erant in eadem regione vigilantes et cus-  
 » todientes vigiliis noctis supra gregem suum: et ecce  
 » Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei cir-  
 » cumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit  
 » illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo  
 » vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia  
 » natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Domi-  
 » nus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis  
 » infantem pannis involutum, et positum in præsepio.  
 » Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœ-  
 » lestis, laudantium Deum et dicentium: Gloria in altis-  
 » simis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.  
 » Et factum est ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum,  
 » pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque  
 » Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est,  
 » quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes,  
 » et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum  
 » in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo,  
 » quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui au-  
 » dierunt mirati sunt, et de iis quæ dicta erant a pasto-  
 » ribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba  
 » hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores  
 » glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quæ au-  
 » dierant et viderant, sicut dictum est ad illos. Et post-  
 » quam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur  
 » puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est  
 » ab Angelo prius quam in utero conciperetur<sup>1</sup>. Et ecce  
 » Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi  
 » est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam  
 » ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens au-  
 » tem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma  
 » cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum

<sup>1</sup> Luc. 1, 57-80, et II, 1-21.



» et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nas-  
 » ceretur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic  
 » enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem  
 » terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda,  
 » ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël <sup>1</sup>.  
 » Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab  
 » eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et mittens eos in Be-  
 » thlehem dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero,  
 » et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens  
 » adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt : et  
 » ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos,  
 » usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Viden-  
 » tes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et  
 » intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria ma-  
 » tre ejus : et procidentes adoraverunt eum, et apertis  
 » thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et  
 » myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent  
 » ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem  
 » suam <sup>2</sup>. Qui cum recessissent, posteaquam impleti  
 » sunt dies purgationis matris ejus, secundum Legem  
 » Moysi <sup>3</sup>, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum  
 » Domino : sicut scriptum est in Lege Domini : Quia  
 » omne masculinam adaperiens vulvam, sanctum Do-  
 » mino vocabitur <sup>4</sup>. Et ut darent hostiam secundum quod  
 » dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos  
 » pullos columbarum <sup>5</sup>. Et ecce homo erat in Jerusalem,  
 » cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus,  
 » expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat  
 » in eo : et responsum acceperat a Spiritu sancto, non  
 » visurum se mortem, nisi prius videret Christum Do-  
 » mini : et venit in Spiritu in templum. Et cum induce-

<sup>1</sup> Malach. v, 1. — <sup>2</sup> Matth. ii, 1-12. — <sup>3</sup> Levit. ii, 6. — <sup>4</sup> Exod. xiii, 6.

— <sup>5</sup> Levit. v, 7. et xii, 8.

» rent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secun-  
 » dum consuetudinem Legis pro eo, et ipse accepit eum  
 » in amplexus suos, et benedixit Deum, et dixit : Nunc  
 » dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum  
 » tuum in pace. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum,  
 » Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen  
 » ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël  
 » Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ  
 » dicebantur de illo. Et benedixit illos Simeon, et dixit  
 » ad Mariam, matrem ejus : Ecce positus est hic in rui-  
 » nam et resurrectionem multorum in Israël, et in signum  
 » cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit  
 » gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.  
 » Et erat Anna prophetissa filia Phanuël de tribu Aser :  
 » hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro  
 » suo annis septem a virginitate sua : et hæc vidua usque  
 » ad annos octoginta quatuor quæ non discedebat de  
 » templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac  
 » die. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Do-  
 » mino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant  
 » redemptionem Jerusalem. Et ut perfecerunt omnia se-  
 » cundum Legem Domini <sup>1</sup>, ecce Angelus Domini appa-  
 » ruit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe pue-  
 » rum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi  
 » usque dum dicam tibi : Futurum est enim ut Herodes  
 » quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens  
 » accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in  
 » Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis; ut  
 » adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophe-  
 » tam, dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum <sup>2</sup>.  
 » Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis  
 » iratus est valde : et mittens occidit omnes pueros, qui

<sup>1</sup> Luc. ii, 22-39. — <sup>2</sup> Osee xi, 1.



» erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu  
 » et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.  
 » Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam  
 » prophetam, dicentem : Vox in Rama audita est, plo-  
 » ratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et  
 » noluit consolari, quia non sunt <sup>1</sup>. Defuncto autem He-  
 » rode ecce apparuit Angelus Domini in somnis Joseph  
 » in Ægypto, dicens : Surge et accipe puerum, et ma-  
 » trem ejus, et vade in terram Israël. Defuncti sunt enim  
 » qui quærebant animam pueri. Qui surgens accepit pue-  
 » rum et matrem ejus, et venit in terram Israël. Audiens  
 » autem quod Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode  
 » patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis seces-  
 » sit in partes Galilææ : et veniens habitavit in civitate,  
 » quæ vocatur Nazareth ; ut adimpleretur quod dictum  
 » est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur <sup>2</sup>.  
 » Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapien-  
 » tia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per  
 » omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et  
 » cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus  
 » illis in Jerosolymam secundum consuetudinem diei  
 » festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit  
 » puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes  
 » ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, vene-  
 » runt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et  
 » notos. Et non inveniētes, regressi sunt in Jerusalem  
 » requirentes eum. Et factum est post triduum invene-  
 » runt illum in templo sedentem in medio doctorum,  
 » audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem  
 » omnes qui audiebant eum, super prudentia et respon-  
 » sis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus  
 » ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic ? Ecce pater tuus et

<sup>1</sup> Jer. xxxi, 15. — <sup>2</sup> Matth. ii, 13-23.

» ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos : Quid est  
 » quod me quærebatis ? Nesciebatis quia in his quæ Pa-  
 » tris mei sunt, oportet me esse ? Et ipsi non intellexerunt  
 » verbum, quod locutus est ad illos. Et descendit cum  
 » eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater  
 » ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et  
 » Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum  
 » et homines <sup>1</sup>. »

## CAPUT VI.

*De ordine prædicationis Joannis Baptistæ inter omnes quatuor.*

XVIII. JAM hinc de prædicatione Joannis narrari in-  
 cipit, quam omnes quatuor commemorant. Nam et Mat-  
 thæus post illa verba, quæ ultima ejus posui, ubi com-  
 memoravit ex Propheta testimonium, « Quoniam Naza-  
 » ræus vocabitur, » sequitur et adjungit : « In diebus  
 » autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto  
 » Judææ <sup>2</sup> ; » Et Marcus qui nihil de nativitate vel infan-  
 tia vel pueritia Domini narravit, hinc Evangelii sumpsit  
 initium, id est, a Joannis prædicatione. Si enim exorsus  
 est : « Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei : sicut scrip-  
 » tum est in Isaïa propheta, Ecce mitto Angelum meum  
 » ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.  
 » Vox clamantis in deserto : Parte viam Domini, rectas  
 » facite semitas ejus <sup>3</sup>. Fuit Joannes in deserto baptizans  
 » et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem

<sup>1</sup> Luc. ii, 40-52. — <sup>2</sup> Matth. iii, 1. — <sup>3</sup> Isai. xl, 3, et Malach. iii, 1.



» peccatorum<sup>1</sup>, » etc. Et Lucas post verba ubi ait, « Et  
 » Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud  
 » Deum et homines, » de Joannis prædicatione jam se-  
 quitur dicens : « Anno autem quinto decimo imperii Ti-  
 » berii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, te-  
 » trarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre  
 » ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et  
 » Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum  
 » Anna et Caïpha, factum est verbum Domini super Jo-  
 » annem Zachariæ filium in deserto<sup>2</sup>, » etc. Joannes  
 quoque apostolus in Evangelistis quatuor eminentissimus,  
 posteaquam dixit de Verbo Dei, qui est ipse Filius ante  
 omnia sæcula creaturæ, quia omnia per ipsum facta sunt, in-  
 tulit continuo de Joannis prædicatione ac testimonio dicens,  
 « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes<sup>3</sup>. » Unde  
 jam videndum est de ipso Joanne Baptista quatuor Evan-  
 gelistarum narrationes, quemadmodum inter se non dis-  
 cordent : non ut hoc a nobis per omnia requiratur aut exigatur,  
 quod modo fecimus de primordiis nati ex Maria Christi,  
 quemadmodum inter se Matthæus Lucasque consentiant,  
 ut ex utriusque narratione unam faceremus, demonstran-  
 tes tardioribus quemlibet eorum commemorando quod  
 alter tacet, vel tacendo quod alter commemorat, non  
 impedire intellectum veracis narrationis alterius ; ut hoc  
 exemplo, sive ut a me factum est, sive alio modo com-  
 modius fieri possit, videat unusquisque et in cæteris talibus  
 locis fieri posse, quod hic factum esse perspexerit.

XIX. Jam ergo, ut dixi, videamus quatuor Evange-  
 listarum de Baptista Joanne concensum. Matthæus ita se-  
 quitur, « In diebus autem illis venit Joannes Baptista  
 » prædicans in deserto Judææ<sup>4</sup>. » Marcus non dixit :  
 « In diebus illis ; » quia nullam seriem rerum ante præ-

<sup>1</sup> Marc. i, 1-4. — <sup>2</sup> Luc. iii, 1, 2. — <sup>3</sup> Joan. i, 6. — <sup>4</sup> Matth. iii, 1.

miserat, in quarum rerum diebus intelligeretur dicere, si  
 diceret, « In illis diebus. » Lucas autem per potestates  
 terrenas significantius ipsa tempora expressit prædicationis  
 vel baptismi Joannis dicens, « Anno autem quinto-de-  
 » cimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato  
 » Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo  
 » autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis  
 » regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus  
 » sacerdotum Anna et Caïpha, factum est verbum Do-  
 » mini super Joannem Zachariæ filium in deserto. » Nec  
 tamen intelligere debemus hos dies, id est, hoc tempus  
 harum potestatum significasse Matthæum cum diceret,  
 « In diebus illis : » sed in multo longioris temporis spatio  
 voluisse accipi, quod ait, « In diebus illis. » Mox enim  
 ut narravit reversum de Ægypto Christum mortuo Herode ;  
 quod utique tempore infantiae vel pueritiae ejus factum  
 est, ut possit constare quod Lucas de illo cum duodecim  
 annorum esset gestum narravit in templo Jerusalem<sup>1</sup> :  
 cum ergo infantem vel puerum ex Ægypto revocatum  
 commemorasset Matthæus, continuo intulit, « In diebus  
 » autem illis venit Joannes Baptista, » non utique tan-  
 tummodo pueritiae illius dies insinuans, sed omnes dies  
 ab ejus nativitate usque ad tempus, quo prædicare ac  
 baptizare cœpit Joannes, quo jam tempore Christi juve-  
 nilis ætas invenitur ; quia coævi erant ipse et Joannes,  
 et triginta ferme annorum narratur fuisse cum ab illo  
 baptizatus esset.

<sup>1</sup> Luc. ii, 42-50.



## CAPUT VII.

*De duobus Herodibus.*

XX. SED plane de Herode solet movere nonnullos quod Lucas narravit, in diebus baptismi Joannis Herodem fuisse tetrarcham Galilææ, quando etiam Dominus juvenis baptizatus est<sup>1</sup>; Matthæus autem, mortuo Herode, dicit puerum Jesum ab Ægypto remeasse: quod utrumque verum esse non potest, nisi duo fuisse intelligantur Herodes. Quod cum fieri potuisse nemo nesciat, qua cæcitate insaniunt, qui procliviores sunt ad calumniandum Evangelicæ veritati, quam paululum consideratiores, ut duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant? cujus rei exemplis plena sunt omnia. Nam iste posterior Herodes prioris Herodis filius fuisse perhibetur, sicut Archelaüs, quem Matthæus, in Judææ regnum patri mortuo successisse commemorat<sup>2</sup>; sicut Philippus, quem fratrem tetrarchæ Herodis et ipsum Iturææ tetrarcham Lucas insinuat. Rex enim fuit Herodes ille, qui quærebat animam pueri Christi: Herodes autem alius filius ejus, non rex, sed tetrarcha dictus est, quod nomen græcum a parte regni quarta inditum resonat.

<sup>1</sup> Luc. iii, 1-21. — <sup>2</sup> Matth. ii, 19-22.

## CAPUT VIII.

*Quomodo Matthæus dicat timuisse Joseph ire cum infante Christo in Jerusalem propter Archelaüm; et non timuisse ire in Galilæam, ubi erat tetrarcha Herodes frater ejus.*

XXI. NISI forte hinc rursus quispiam moveatur, cum Matthæus dixerit ideo timuisse Joseph cum puero redeunte ire in Judæam, quia pro patre suo Herode Archelaüs filius ejus ibi regnabat; quomodo potuerit ire in Galilæam, ubi alius filius ejus Herodes tetrarcha erat, sicut Lucas testatur. Quasi vero ipsa sint tempora, quibus tunc puero timebatur, quæ nunc Lucas commemoravit, quæ usque adeo mutata erant, ut in ipsa Judæa non jam rex esset Archelaüs, sed Pontius Pilatus, qui non rex Judæorum, sed præses erat: cujus temporibus agentes sub Tiberio Cæsare filii majoris Herodis, non regnum habebant, sed tetrarchiam. Quod utique nondum factum erat, quando Joseph timens Archelaüm in Judæa regnantem, se in Galilæam cum puero contulit, ubi et civitas ejus erat Nazareth.

<sup>1</sup> Luc. ii, 41.